

05 A 523

05

A

523





303

Exercitationum Theologicarum  
DISPUTATIO II.

*Qua*

Primum Problema Theologicum, idq;

DE NORMA, ET

IVDICE CONTROVER-  
versiarum Religionis,

*Collegio privato ventilandum sstitur,*

In inclita VViteb: Academia,

IOHANNE FÖRSTERO,

SS. Th. D. & Prof. Publ.

*Respondente*

M. PAVLO GESNERO BOLESLA-  
viâ-Silesic.

Ad diem 27. Iulij.

Ioh. 14, 26: ὁ δε παρ' αὐτῆς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει  
ὁ Πατήρ ἐν τῷ ὀνόματι μου, ἐκεῖν ὑμᾶς διδάξει πάντα καὶ  
(NB) ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα, (NB) ὅσα εἶπον ὑμῖν.

W I T E B E R G Æ

Typis Cratonianis, per Joh. Gorman., Anno 1608.



05 A 523

ac7

# פארוי

## PROBLEMA.

Utrum controversiarum Religionis norma sit sola tantum Scriptura sacra, an verò præter hanc traditiones humanæ; itemq; num earum Judex sit SPIRITUS SANCTUS: vel Pontifex Romanus.

I.

## ΠΡΟΛΟΓΙΟΝ

*συνέχεται, necessitatem, dignitatem, propositionem, & partitionem dissertationis hujus præmonstrans.*

## THESIS I.



Ost generalem de Theologia *Μαθητιβλῶ*, meritò jam primas, inter Disputationes nostras, sibi vendicat, Locus de *Sacro sancta Scriptura.*

II.

Nam, sicut Philolophia suis constat principijs, ἐξ ὧν διπο- *Hujus doctrine*  
*συνίχεται & necessitas.*  
δεικνύσιν ejusdem Professores, quibusque negatis *ὡς ἐπὶ λό-*  
*γῳ:* Ita quoq; Scriptura est principium Theologiæ *ἀπὸ πρῶ-*  
*τον καὶ ἀναπεδεικτον,* unde Theologi *διποδείξεις προμαλκὰς* edu-  
cunt.

III.

Atque hoc sanè est, quod SPIRITVS SANCTVS verus ὁ ἀρχιγραμματεὺς toties inculcat:

Esaie 8. *Ad LEGEM & ad TESTIMONIUM.*

Luc. 16. *Habent Moſen & Prophetas, HOS AUDIANT.*

Ioh. 5. *ἐρῶν ἅπτε τὰς γραφάς.*

1. Pet. 4. *εἰ τις λαλεῖ: ὡς λόγια & Θεῶ.*

IV.

Et Patres Orthodoxi; (a) Iustinus Martyr: Neq; te diffe-

A 2

rentem

sentem sustinuissemus, nisi cuncta ad Scripturas referres, unde & demonstrationes adducere, tibi studio est.

(b) *Augustinus*: Maximè debetis animadvertere, & memoriz vestræ mandare, quòd contra insidiosos errores DEVS voluit ponere *fundamentum in Scripturis*, &c.

(c) *Basilii*: Stemus arbitratu Scripturæ, divinitus inspiratæ, & apud quos inveniuntur dogmata *Divinis oraculis* consona: illis omnis veritatis adjudicetur sententia.

(d) *Tertullianus*: Sed (hæretici) ipsi & de Scripturis agunt, & de Scripturis suadent: *aliunde scilicet suadere non possent de rebus Fidei, nisi ex literis Fidei.*

(a) in *Dial. cum Tryph. Iudæo.* (b) *tract. 2. in ep. Ioh.*

(c) *ep. 80.* (d) in *lib. de præscript. adversus har. c. 15.*

V.

Dignitas &  
præstantia.

Ex quo facillè intelligi potest, quanta hujus Articuli sit *Necessitas*. Quid dicam de *præstantia & utilitate* ejus ineffabili?

VI.

Legant & relegant studiosi Psalmum 119, qui licet 176 versiculis constet: totus tamen in evlogio Sacrosanctæ Scripturæ unicè occupatur.

VII.

Proposito.

Non est autem nobis propositum in præsentia, omnes & singulas quaestiones, de quibus hoc in negotio inter nos & Papicolas disceptatur, ἀκριβῶς καὶ διεξοδικῶς explicare: sed excerpemus solummodò maximè principem & verè classicam, quæq; reliquarum omnium Metropolis rectissimè statuitur.

II X.

*De Norma videlicet & Iudice controversiarum Religionis.*

IX.

Ἀποδείξις

Distribuemus autem totā quaestionis istius pertractationem, αἰφηνείας καὶ εὐπαρακαλοῦ ἡγῆσε ἐνεκα, κατ' ἀκριβεστῶν μέθόδου, in hæc 5. capita.

X.

In 1. præmittetur *περίληψις* terminorum.

In 2. ponetur *ἡ κατάστασις*, id est, *Constitutio status controversiæ.*

In

In 3. pertextetur κατὰ σοφίην nostræ sententiæ veræ.

In 4. subtectetur ἀνασοφίην falsæ Antagonistarum opinionis.

In 5. addetur κατέλιπς fundamentorum maximè præcipuorum, quibus illam è Scriptura, superstruere allaborant.

XI.

Revelet DOMINVS nobis oculos nostros, & considerabimus mirabilia in Lege ejus! Psal. 119.

Pertractatio quæstionis controversæ,

ejusque

CAPUT PRIMUM,

Complectens πρῶτων terminorum.

XII.

Verissimum est vetus dictum Scholasticorum: Qui non intelligit quid nominis: non etiam intelliget quid rei. Vocabulà namque sunt signa rerum.

XIII.

Itraque antequam ad ipsam rei præsentis explicationem descendamus, moræ & operæ præcium nos facturos confidimus; si, ὡς ἐν πρῶτῃ θεωρίᾳ, terminorum vel vocabulorum, quarum hac in controversia usus, πρῶτων leviter & breviter perstringamus.

XIV.

Quatuor a. potissimum termini hic occurrunt, partim obscuri, partim ambigui, ac proinde ἀποσαφήσεως cujusdam prævia indigi. 1. est Scriptura. 2. Norma. 3. Index. 4. *Præcognita.* *Contr.*

XV.

i. *Scriptura sacra* appellatione venit ipsum DEI Verbum, quod libris *descriptum* sacris, unde & nomen istud obtinuit, quòd Sacra dicitur Scriptura, vel κατ' ἐξοχὴν *Scriptura*. *1. πρῶτον.* *Scriptura S.*

Matth. 21, 22. cap. 22, 29. & 26, 54, 56.

Marc. 12, 10. & 14, 49.

Luc. 4, 21, 24, 27, 32, 45.

Iohan. 2, 22.

A 3

Verbum

## XVI.

Verbum enim DEI & Scriptura sunt *unum realiter*: nec externa Descriptionis circumstantia ullam rei infert differentiam essentialem.

## XVII.

Non autem statim à primo mundi exordio Verbum DEI literis fuit mandatum: sed in Ecclesia Patriarcharum *viva voce traditum* & propagatum usq; ad Moysen annis 2454.

## XVIII.

Tùm illud literis consignari primùm cepit, summa sic postulante *Necessitate*, & quidem 1. ob generis humani multiplicationem. 2. ob vitæ humanæ brevitatem. 3. Ob memoriæ infirmitatem. 4. ob diaboli insidias & machinationes;

## XIX.

Idq; factum: non privata quadam auctoritate: sed *exemplo, mandato, & instinctu DEI*.

## XX.

*Exemplum DEI* habemus Exod. 24, 12. c. 32, 52. ubi disertè affirmatur, quòd ipsemet I E H O V A H Legem suam digito tabulis lapideis insculpsit.

## XXI.

*Mandata* ea de re solennia & illustria extant Exod. 34, 27. Deut. 10, 4. & 5. Deut. 7, 18. Est. 30, 8. Ier. 30, 2. Hab. 2, 2. Apoc. 1, 11. 19. c. 14, 13. cap. 19, 9. cap. 21, 5.

## XXII.

De *Instinctu* autem *Divino* Apostolorum Princeps Petrus 2. ep. cap. 1. SPIRITV SANCTO *inspirati* locuti sunt sancti DEI homines. Cujus & r. spectu Scriptura appellatur *θεωπνευστος* 2. Tim. 3, 16.

## XXIII.

Atq; hinc quoq; est, quod Scriptura est *ἀντίπνευστος* & *ἀντιπνεύδωτος*, adeoq; principium Theologiæ *ἀμεσον καὶ ἀναπόδεικτον*.

## XXIV.

Vnde scitè & perbellè Nemefius: ἡ τῶν θεῶν λόγων διδασκαλία



καλία τὸ πρῶν ἀφ' ἑαυτῆς ἔχει, ἀλλ' (NB) τὸ θεόπλοστον εἶναι.

XXV.

Et Hieronymus: SPIRITVS SANCTI doctrina est, quæ literis Canonicis prodita, contra quam si quid statuunt concilia: nefas duco. De re enim magna & complectente salutem animarum agitur.

XXVI.

2. Τὸ Norma Græcis κανὼν, Hebræis נֶרֶם est vocabulum <sup>2. κανὼν αἰσθητικῆς</sup> Architectonicum, ab Architectonica translatum in Politiam, <sup>Norma</sup> & ex hac in Ecclesiam.

XXVII.

In Architectonica norma vel canon propriè est instrumentum, in linea recta rectè erigenda, in eodem plano, super rectam atq; indè superficiem & corpus super superficiem corpùsve. Petrus Ramus l. s. Geom. prop. 8.

XXIIX.

In Politia norma appellatur 1. συγκεχυμένως καὶ παχυλῶς omne τὸ μετρητικόν, id est, id, quo quid mensurari potest. 2. διαρισμένως καὶ ἀκριβῶς leges vel statuta cuiusq; Reip., ad quas Iudex causas forenses examinat & decedit.

XXIX.

In Theologia norma est & dicitur id, ad cuius præscriptum controversiæ Theologicæ, vel Fidem concernentes dirimendæ sunt.

XXX.

Normæ requisita sunt 5. 1. ut publica autoritate sit recepta. 2. ut omnibus sit communis. 3. ut sit infallibilis, & non instar regulæ Lesbiæ. 4. ut sit suo mensurato undiquaq; adæquata. 5. ut omni ex parte sibi perpetuò constet.

XXXI.

3. Nomen Iudex ex foro quoq; in Theologiam est translatum, diciturq; is, qui, secundum normam præscriptam, circa controversias propositas occupatur. <sup>3. αἰσθητικῆς</sup> <sup>Judes.</sup>

Estq;

## XXXII.

Estq; vel inferior vel summus. Inferior iterum vel privatus, vel publicus. At de hoc jam non est instituta dissertatio; sed de judice summo.

## XXXIII.

Cujus hæc sunt *περὶ ἀποκρίματα*: 1. ut sit ἀνωτέρω. 2. ut sit ἀψόδης. 3. ut sit partibus litigantium bene notus. 4. ut causam scitè ac ritè dignoscat. 5. ut, cognita causa, ferat sententiam. 6. ut sententiam isthanc mandet executioni.

## XXXIV.

4. ἀποκρίματα.  
Quid & quotu-  
plices controver-  
sæ Religionis.

4. *Controversiæ Religionis* dicuntur certamina Theologica, de quæstionibus Fidei & cultus divini.

## XXXV.

Suntq; vicissim in duplici differentia: Quædam spectant *δογματικά*: Quædam *ἀποκρίματα*, vel, ut Nazianz. loquitur, *τὴν ἐν μέσῳ κείμενα*.

## XXXVI.

Illæ in Scriptura *ἀποκρίματα* sunt tradita & explicata: Hæc verò non itidem.

## XXXVII.

Ideoq; illæ cum *credendi & tenendi necessitate*: Hæc verò cum *judicandi & observandi libertate* sunt conjuncta. Et de his isthïc non laboramus: sed de illis.

Hæc de *περὶ ὀνόματι* terminorum, vel vocabulorum, quorum in hac disputatione usus est: Devenimus jam *recta linea ad rem ipsam*.

## CAPUT II.

*Continens statum controversiæ.*

## XXXIIX.

Ne ἀδῆλως τρέχωμεν καὶ πικνεύωμεν, ὡς ἀέροι δέροντες, ut ab (g) Apostolo phrasin mutuemus; omnium jam rerum primum est, ut exactè constituamus statum controversiæ, eumq; ut scopum toti disputationi præfigamus.

(g) 1. Corinth. 12.

Idq;

## XXXIX.

Idq; *κατ' ἀφαιρέσιν* quaestionum cognatarum, & *θεῶν* quaestionis verae, de qua proprie hic contenditur.

## XL.

1. Per *ἀφαιρέσιν* igitur amovenda veniunt tres potissimum 1. ἀφαιρέσιν  
cognatarum  
quaestionum. quaestiones, quae tria diversa Ecclesiae tempora & status concernunt.

## XLI.

1. Est Patriarcharum usque ad Mosen, qui verbo scripto caruerunt.

## XLII.

2. Tempus CHRISTI & Apostolorum paulò post ascensionem, quo nullus adhuc N. T. liber memoriae proditus fuit.

## XLIII.

3. Est subsequens Apostolorum tempus, quo aliqua quidem Scripta ab illis erant edita; nondum tamen extabant omnia, quae nunc in Canone Scriptorum N. T. continentur.

## XLIV.

Non itaque I. hoc loco disceptatur: An Verbum scriptum, quatenus scriptum, in Ecclesia ante Mosen fuerit norma Doctrinae & cultus? Equis enim istud, nisi sit *διεφθέρημεν* & *τὸν νόμον*, affirmaverit: quandoquidem Verbum Divinum tum temporis nondum fuit literis consignatum?

## XLV.

II. Neque hoc in quaestione jam venit; An CHRISTVS & Apostoli è N. quoq; T. libris suam depromserint doctrinam: Etenim quia tum scripta N. T. nondum extiterunt; quomodo ex ijs à CHRISTO & Apostolis desumi potuit doctrina, quam tradiderunt?

## XLVI.

III. Nec hoc in quaestione versatur: An adhuc viventibus & regentibus Ecclesias Apostolis, unum atq; alterum N. T. Scriptum ab ipsis jam exaratum statim haberi debuerit pro absoluto & integro Canone Fidei?

## XLVII.

Hoc enim, perinde ut illi, pleno ore negamus, & adver-

B

sus

fus Iesuitas, opinioniones istiusmodi nobis affingere confectos,  
publicè protestamur.

XLIIIX.

Non enim præcipuè solliciti sumus de tempore Patriar-  
charum ante Mosen, CHRISTI & Apostolorum. Sed de  
tempore Ecclesie post Apostolos omnibus & singulis eorum  
Scriptis jam in Canonem & integrum systema N. T. redactis.

XLIX.

Fa sta ita κατ' ἀφαιρέσειν διαβολῆς quæstionum, extra aleam  
disputationis hujus positarum: superest, ut θεσις καὶ κατὰβολῆ  
veri & ζητήσις, in quo rei istius ἀκρόπολις propriè consistit,  
jam nunc substituat. L.

2. θεσις veri  
ζητήσις.

Illud verò (συλλήθω καὶ ἀπαζαπῶς εἰπεῖν) hoc est: *Quæ-*  
*nam nimirum à tempore Apostolorum, omnibus eorum Scriptis*  
*jam in codicem Biblicum compactis, & in Canonem redactis, nor-*  
*ma sit vera & infallibilis, in quæstionibus ac controversiis Fidei,*  
*quis in idem eorundem Iudex summus & ἀναπόδωτος.*

LI.

Hic Rhodus, hic saltus nobis hodie cum Thaidis Baby-  
lonidos procis, cum fraterculis nempe Lojolitanis.

LII.

Sed antequam ineamus chorum: æquum est, & utile, ut  
utriusq; partis, de quæstione jam proposita, audiat *sententia*  
& primò quidem quantum normam, & deinde quantum lu-  
dice, n. att. net.

LIII.

Falſe ſententia,  
Iesuitarum  
I. de norma.

*De norma hæc (licet more suo aliquid aliud interdum si-*  
*mulari videantur) Iesuitarum concurs est opinio: Scriptu-*  
*ram vide licet non esse totalem & sufficientem omnium contro-*  
*versiarum Fidei normam & regulam: sed huic necessariò*  
*adjungendas traditiones.*

LIV.

Quod si cui dubium videtur, is attendat & expendat pro-  
pria eorum enunciata, vel potiùs blasphemias, dictu & audi-  
tu horrendas, quas ἀπολεξί hic proferemus.

Bell

*Bell. lib. 4. de Verbo DEI non scripto. c. 4. Nunc ut ad probationem veniamus, tria demonstrare conabimur, Primum, Scripturas sine traditionibus nec fuisse simpliciter necessarias, nec sufficientes.*

*Cens. Col. fol. 220. Scriptura sacra est doctrina mutila, manca & imperfecta, quae non continet omnia, quae ad fidem moresque vivendi pertinent.*

*Greg. de Valentia l. 5. in anal. c. 2. Scriptura sola de precipuis fidei questionibus & ad salutem necessarijs nihil & (NB) non obscure quidem definit.*

*Etc. 3. Scriptura sacrae sententia de maximis etiam fidei questionibus obscura & ad intelligendam difficilis est, & non solum (NB) non hinc absolvitque difficultatem questionis Scripturae collatio, sed plerumque etiam (NB) auget.*

*Jann. in coll. Ratisb. sess. 8. Nulla, nulla, nulla haeresum enumeratarum sufficienter ex Scriptura est refutata: Et iterum: Nulla haeresis ex Scriptura potest sufficienter refutari.*

#### L V.

Imò agminis illius Esauitici Goliathus eò tandem impietatis procedit, ut non exhorrescat propalam scriptitare.

*Lib. 4. de Verb. non scripto. cap. 12.*

*Scriptura finem proprium & precipuum non fuisse ut esset regula Fidei, sed ut esset commonitorium quoddam utile ad conservandam & fovendam doctrinam ex praedicatione acceptam.*

#### LVI.

*De Iudice autem quid sentiant bestiae Romanae adoratores, ex eorum negatoyiaus datur intelligi:*

*Bell. l. 4. de Rom. Pont. c. 1. Deinde in hac ipsa disputatione de Pontifice cum ostendimus, summum Pontificem caput & pastorem esse totius Ecclesiae; quid aliud ostendimus, quam esse eum summum Iudicem in Ecclesia.*

*Greg. de Valent. l. 6. c. 4. Pontifex Romanus est ille ipse, in quo ceu capite Ecclesiae autoritas illa residet, sive si cum Episcoporum concilio sive absq; concilio res Fidei definire velit.*

Gretz. in Colloq. Ratisb. ses. 1. Iudex generalis legitimus; ordinarius omnium controversiarum, quæcumq; possunt oriri in negotio religionis, est Pontifex Rom: sive solus definiat aliquid, sive definiat cum concilio generali: Ille Iudex est semper infallibilis.

E: ses. 9. Nullo modo concedi potest, quod aut sacra Scriptura, aut SPIRITVS S ANCTVS, loquens per Scripturam, sit summus & generalis Iudex omnium controversiarum. Idem ibidem: Omnis Iudex ita dicere debet sententiam, ut altera pars evidentè sciat, se causam obtinuisse, quantum ex parte huius Iudicis; Altera cecidisse causa sive iuste sive iniuste: sed Sacra scriptura sive Spiritus sanctus loquens per scripturam, illud non potest ex sua parte. E. non est Iudex.

It. Si est Iudex Spiritus Sanctus, nunc condemnet me.

Et rursum: Si Spiritus Sanctus potest per Scripturam facere, faciat & dabo manus. Imò odies repetijt & propalam pronunciauit Spiritum Sanctum NON posse iudicare per Scripturam.

L VII.

Ex his igitur & aliis ejusmodi propriis Iesuitarum èmologiam meridiano sole clariùs elucet, quòd de quaestione propo-  
posita hæcorum sit sententia.

L I X.

cc. 1. Scripturam non esse normam sufficientem & primariam causam religionis: sed indigere adhuc assumento traditionum.

L I X.

cc. 2. Iudicem earundem non esse Spiritum Sanctum: sed Pontificem Romanum.

L X.

Sententia vera. Nos verò, qui op<sup>o</sup> Godd<sup>o</sup>zicam Lutheranam unice amplectimur  
Lutheranorum, & exosculamur: planè contrarium docemus ac profite-  
mur, propalam affirmantes.

L X I.

1. Normam ac regulam quaestionum Fidei nullo modo esse traditiones humanas: sed solam tantummodò Scripturam sacrosanctam.

L X I I.

2. Iudicem controversiarum istiusmodi non esse Pontificem Romanum.

man: sive solus definiat, sive cum concilio: sed solum Spiritum  
Sanctum, cujus vox decisiva sacri comprehensa literis.

LXIII.

Verum enim verò, quia, juxta Dionysium Areopagitam, a)  
allegante Johanne Gertone, nihil audendum dicere de Divi-  
nis: nisi quæ nobis à Scriptura sacra tradita sunt: jam sanè utri-  
usq; nostræ thesæus Βεβαιώων è sacra Scriptura subtexemus.  
Cui postea οὐρανόψηφισμὸν Orthodoxæ Antiquitatis adde-  
mus.

a) De exam: Doct. p. 2. cons. 1.

CAPUT TERTIUM.

Quo Βεβαιώων vel νατασὸν sententia Lutherana  
vera pertexitur.

LXIV.

Constabit autem utriusq; Θεσῶς Βεβαιώων tribus distin-  
ctis argumentorum generibus; Quorum 1. erit γνωμὸν, id est,  
ex dictis. 2. παραδειγματὸν, id est, ex exemplis. 3. δόξαν  
κατὰ λόγον, id est, ex rationibus Scripturæ extractum.

LXV.

Ad I. igitur argumentorum genus prioris Βεβαιώων referimus  
Scripturæ, Dicta, vel potius precepta, quibus in re-  
bus Fidem & cultum DEI attingentibus, ad solum remitti-  
mur Verbum scriptum.

1. Ex V. T.

Deut. 17. Postquam Rex sederit in solio regni sui, DESCRIBET  
SIBI Deuteronomium Legis hujus in volumine, accipiens ex-  
emplar à Sacerdotibus Levitica tribus, & habebit secum,  
legetq; illud omnibus diebus vita sua, ut discat timere DO-  
MINVM DEVM suum, & custodire verba & ceremonias  
ejus, quæ IN LEGE precepta sunt.

2. Reg. 17. DOMINVM DEVM vestrum timete, illum adora-  
te, ipsi immolate, ceremonias, judicia & legem & mandatum,  
QVOD SCRIPSIT VOBIS, custodite.

Es. 8. AD LEGEM & AD TESTIMONIUM. Quòd si  
non dixerint IVXTA VERBUM HOC, non erit eis ma-  
tutina lux.

*His familia leguntur. Deut. 6. 2. Ios. 1. 7. 3. Reg. 23.*

2. Ex N. T. Matth. 28. Docete eos servare omnia, quaecunque  
MANDAVI vobis.

*Luc. 16. Habent Moſen & Prophetas, HOS audiant.*

*Ioh. 5. Scrutamini SCRIPTURAS.*

1. Pet. 4. Si quis loquitur, ut ELOQUIA DEI.

LXVI.

II. *Exempla idipſum constantia in duplici viciffim ſunt dif-  
ferentia. Quaedam in Veteri, Quaedam in Novo Testamento ha-  
bentur.*

LXVII.

*Exempla V. T. nobis præbent pij Reges, qui veram ac ſin-  
ceram Religionem in populo Iudaico non ſuo arbitratu cõ-  
ſtituerunt vel reformarunt: ſed juxta præſcriptũ legis Divinæ.*

*ut I. Davides. 1. Par. 16, 40. II. Joſaphatus. 2. Par. 17. 9. & 10.*

*III. Ezechias. 2. Paralip. 30, 5. & 2. Par. 31, 20, 21. IV. Io-  
ſias. 2. Par. 24, 21. 2. Reg. 23, 2. Par. 35.*

LXVIII.

*Exempla N. T. nobis ſuppeditant, 1. Ipſemet CHRISTVS,  
2. Apoſtoli in Synodo Hieroſolymitana. 3. Doctor gentium Pau-  
lus, qui non aliunde, quàm ex Verbo Scripto de Articulis Fi-  
dei docuerunt, & eorum controverſias deciderunt.*

1. De CHRISTO legatur Matth. 22. Luc. 24.

2. De Apoſtoli Act. 15, 15. καὶ τὸ πρῶτον ἀκούσωμεν (inquit Iacobus)  
οἱ λόγοι τῶν προφητῶν.

3. De Paulo Act. 17, 2. & 3. & c. 26, 32. & c. 28, 23.

LXIX.

III. *Rationes vel ἀποδείξεις προφικαὶ quibus ἀδαμαντίνως e-  
vincitur, ſolam duntaxat Scripturam eſſe normam & κανόνα  
ἀσφαλῆ controverſiarum Fidei, magno quidem numero ad-  
duci poſſent: ſed volumus jam eſſe contenti una ſolùm ma-  
ximè præcipua & classica, quamq; reliquarum omnium Epi-  
tomen quaſi merito appellaveris.*

LXX.

*Ea verò compedibus Sylogiſticis incluſa talis eſt:*

*Quic-*



Quicquid exponit SPIRITVS Sancti mentem perfectè, infallibiliter, perspicue, & insuper expressè in Scriptura Canon appellatur: Id jure optimo pro unica omnium Fidei controversiarum norma ac voce iudicis agnoscitur, colitur, usurpatur.

Sed talis est Scriptura Prophetica & Apostolica. Ergo &c.

### LXXI.

Assumptio istius syllogismi indiget probatione, & quidem quadruplici, ratione quadruplicis adjuncti, quod inibi Scripturae tribuitur, 1. Perfectio nimirum. 2. Infallibilitas, 3. perspicuitas; & 4. quòd dicatur Canon. De quibus singulis, ut è *Προσφητῶν ἔκδοσις*, testimonia Scripturae ἀνεπίστατα & ἀμετάθετα in medium producemus. LXXII.

I. Testimonia pro perfectione & sufficientia Scripturae hæc sunt potissima.

1. Ex V. T. Psal. 19. *Lex DOMINI PERFECTA, convertens animas.*

2. ex N. T. Ioh. 15. *OMNIA, quaecumq; accepi à Patre meo nota feci vobis.*  
Ioh. 20. *Hæc Scripta sunt, ut credatis, quod IESVS est CHRISTVS, ille Filius DEI, & ut credentes VITAM habeatis per nomen ejus.*

Act. 20. *Non subterfugi, quo minus annunciarer OMNE consiliū Dei vobis.*

2. Tim. 3. *A puero sacras literas nosti, quæ te possunt eruditum reddere AD SALVTEM per Fidem, quæ est in CHRISTO IESU.*

II. Omnis Scriptura divinitus inspirata, est utilis ad doctrinam, ad reargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iusticia, ut INIEGER (ἐκλήθη) sit Dei homo, ad OMNE OPVS BONVM apparatus (ἐνεχθησθε). LXXIII.

II. Pro Scripturae infallibilitate hæc militant ἀποστολικὰ Φημισματα.

1. Ex V. T. Ps. 33. *RECTVM est Verbum DOMINI, & omnia opera ejus in Fide.*

Es. 40. *דְּבַר אֱלֹהֵינוּ קָוָה לְעֹלָם*

*Verbum DEI nostri STAT in æternum.*

2. Ex N. T. Luc. 21. *Cælum & terra transibunt: Verba autem mea NON TRANSIBUNT.*

Ioh. 17. *Conserva eos in veritate, Verbum tuum est VERITAS.*

III. Quòd

## LXXIV.

III. Quòd Scriptura sit *maxime perspicua*, in his præsertim, quæ ad salutem & vitæ honestatem scitu sunt necessaria, ex sequentibus Scripturæ dictis lucidissime effulget.

1. Ex V. T. Ps. 19. *Præceptum DOMINI LUCIDVM illuminans oculos.*

Ps. 119. *LVCERNA pedibus meis Verbum tuum, & LVMEN semitis meis.*

Prov. 16. *Mandatum LVCERNA est, & lex LVX est.*

2. Ex N. T. 2. Pet. 1. *Habemus FIRMIOREM sermonem Propheticum, cui dum attenditis, ceu LVCERNÆ APPARENTI IN OBSCVRO LOCO, rectè facitis, &c.*

## LXXV.

IV. Quòd Scriptura sit & dicatur Canon notum est sex notissimis Scripturæ locis. Ps. 9. *In omnem terram exiit (D)P) CANON eorum.*

Gal. 6. *Quot quot iuxta REGVLAM hanc (τῶν κανόνων τῆς τοῦ) incedent, pax super eos & misericordia.*

2. Cor. 10, 13, 15, 16. Phil. 3, 16.

## LXXVI.

Imò, quia Verbum scriptum est vox Iudicis, SPIRITVS videlicet sancti, inde fit, quòd Hebr. 4. eidem *duobus uerbum* tribuitur, & Eph. 6. *gladius SPIRITVS nuncupatur.*

## LXXVII.

Atq; hæcenus de *βεβαιότητι* prioris nostræ thesæ: sequitur posterioris *πίστεως* de his, qua idem Scripturæ dictis, exemplis, & rationibus ostendendum, quod solus tantum SPIRITVS Sanctus sit *Iudex summus omnium controversiarum Fidei.*

## LXXIIX.

*βεβαιότητι posterioris thesæ.* I. Igitur dicta Scriptura quod attinet, eorum potissima hæc sunt. Ioh. 16. *SPIRITVS ille veritatis introducet vos in omnem VERITATEM.*

1. Cor. 2. *Ea quæ sunt DEI, nemo novit nisi SPIRITVS DEI. Et, mox v. 13. Quæ etiam loquimur, non sermonibus quos docet humana*

LIBRARI

*humana sapientia, sed quos docet SPIRITVS SANCTVS.*  
*Apoc. 2, 7, 11, 17, 29. Et c. 3, 6, 13, 22. Qui habet aurem, audiat.*  
*quid SPIRITVS dicat Ecclesijs.*

LXXIX.

II. *Exemplum* maximè conspicuum ejus rei habemus in Apostoli, Act. 15, ubi controversiam de observatione ceremoniarum Mosaicarum ita decidunt; apertè declarantes se subscribere *judicio SPIRITVS SANCTI.*

*Visum est SPIRITVS SANCTO ac nobis, ne quid amplius imponeremus vobis oneris, quàm hæc necessaria, &c.*

LXXX.

III. *Rationes* ex Scriptura, idem comprobantes, præcipuæ sunt hæ duæ:

LXXXI.

1. Qui est Auctor Sacræ Scripturæ, is etiam summus est Iudex controversiarum Scripturæ. Sed SPIRITVS SANCTVS auctor est Scripturæ. Ergo.

LXXXII.

Majoris veritas innititur recepto axiomati: Vnusquisque est optimus interpret suorum Verborum. Assumptio probatur ex 2. Tim. 3. 16. 2 Pet. 1, 21. Act. 28, 25.

LXXXIII.

2. Is solus est summus Iudex controversiarum Scripturæ & Religionis à quo nos minimè falli posse, certò nobis constat. Atqui talis est SPIRITVS SANCTVS. Ergo, &c.

LXXXIV.

Major sua luce radiat. Assumptio confirmatur dicto Iohannis 16, 17. Jam modò in medium producto.

LXXXV.

Ex quibus omnibus *omnibus* concludimus, SPIRITVM SANCTVM esse unicum & summum controversiarum Theologicarum Iudicem.

LXXXVI.

Atque hoc sanè munus ipsi peculiariter ascribitur tum *peculiaris patefactionis*; tum *peculiaris hæc in re operationis rationis.*

C

tionis.

tionem. De qua Ioh. 14, 16, & 26. Act. 20, 28. 2. Cor. 12, 4, 5, 6,  
7, 8, 10, 11. 2. Tim. 3, 16. 2. Pet. 1, 11.

LXXXVII.

Εὐκαταφ-  
ριστός Ορθο-  
δοξὸς Ἀντι-  
κίς.

Atq; sic haec utriusq; nostrae *Ἱερέως* veræ & Ortho-  
doxæ *Βεβαίως* *ἡραφίη*: Restat ut addatur *εὐκαταφ-  
ριστός*  
*Orthodoxæ Antiquitatis*.

LXXXIIX.

Testimonia verò ejusdem maximè præcipua & notatu-  
digna hæc sunt.

I. DE NORMA.

Chrysof. 2. Cor. 7. hom. 3. *Habemus omnium exactissimam tru-  
tinam ac normam ac regulam, divinarum, inquam, legum  
assertionem. Ideo, obsecro & oro omnes vos, ut relinqua-  
tis quidnam illi vel huic videatur, deq; hoc à Scripturis hæc  
omnia inquirete.*

Aug. lib. de bon. fid. c. 1. *Sancta scriptura nostra doctrina regu-  
lam figit, ne audiamus sapere plus quam oportet.*

Idem contra Maxim. l. 3. c. 14. *Sed nunc nec ego Nicenum, nec tu  
debes Ariminense tanquam præjudicaturus præferre concili-  
um; nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scri-  
pturarum auctoritatibus, non quorumcumq; proprijs: sed u-  
triusque testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ra-  
tione concertet.*

II. DE IUDICE.

Tertull. *de præscript. CHRISTVS sedens ad dexteram DEI,  
misit vicariam vim SPIRITVS S ANCTI, qui creden-  
tes agit.*

Idem paulò post. *Qui Scripturam non recipiunt, nec SPIRITVM  
Sanctum possunt agnoscere discipulis missum.*

LXXXIX.

Et hæc utriusq; nostrarum *Ἱερέων*, quibus *ἡ ὀρθο-  
δοξία* Lutherana continetur: Deveniendum jam est ad con-  
futationem *ἀντιἹερέων* Iesuitarum, quibus eorum *ἡ ὀρθο-  
δοξία* comprehenditur.

Oportet.

Oportet enim dispensatorem DEI non tantum esse διωκ-  
 τὸν πνευματικῶν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῆς ὑγιανέουσης: sed etiam τὸς ἀν-  
 λεγομένους ἐλεγχῆν Tit. cap. I.

## CAPUT QUARTUM.

Quo ψαδιδασκαλία Iesuitica confutatur.

## XCI.

Prior Esavitarum thesis vel potius antithesis est *de tradi-*  
*tionibus Scripturæ assuendis.* Refusatio Iesui-  
 tica ἀπὸ τῶν  
 de traditionibus

## XCII.

Et definiuntur ab illorum (1) Coryphæo in genere, quod  
 sint doctrina non scripta, adeoque κατ' ἀλλοδιαίρεσιν Verbo-Scri-  
 pto è diametro opponuntur.

(1) Bell. lib. 4. de Verbo DEI non scripto c. 2. & 3.

## XCIII.

Sed nos arietes scripturæ, vel argumenta, quibus tota  
 traditionis structura nullo negotio ex imis subvertetur funda-  
 mentis, paulisper admovebimus.

## XCIV.

I. Scripturæ nihil addendum, nihil detrahendum. Ergo  
 nihil opus traditionibus.

Antecedens est de sumtam ex Deut. c. 4, 1. & c. 12, 32. Prov.  
 30, 6. Apoc. 22, 18, 19.

## XCV.

II Frustra me colunt mandatis hominum, Esa. c. 29, 13.  
 Matth. 15. Ergo nullus est traditionum ulus.

## XCVI.

III. In præceptis PATRVM VESTRORVM nolite am-  
 bulare- EGO DOMINVS DEVS vester, IN PRACE-  
 PTIS MEIS ambulate, & iudicia MEA custodite & facite  
 ea. Ezech. 20.

Ergo traditiones sunt prohibita

C 2

and Sacra

Caven

XCVII.

IV. Cavendum est à traditionibus ex autoritate (a) præcepti Apostolici. Qomodo igitur illæ erunt norma Fidei & vitæ? (a) Col. 2, 8, 22.

XCIIX.

V. Illi, qui præter & extra Verbum DEI aliquid recipiunt, anathematis fulmine feriendi. Ergo.

*Antecedens est Apostoli Galat. 1, 8. Si nos, aut Angelus de celo predicaverit vobis Evangelium PRÆTER ID, quod predicavimus vobis ANATHEMA sit.*

*De quo loco illustrem hanc sententiam Augustinus magna asseveratione & religione profert: Si quis sive de CHRISTO sive de ejus Ecclesia, sive de quacungq; alia re, quæ pertinet ad*  
*„ Fidem vitamq; nostram, non dicam si nos: sed (quod Paulus*  
*„ adjecit) si angelus de celo vobis annuncia verit, præterquam*  
*„ quod in Scriptis Legalibus & Evangelicis accepistis, ana-*  
*„ ma sit.*

XGIX.

VI. Traditiones non sunt ejusdem nature & efficacia cum Verbo scripto. (p) Huic enim Soli ex eudoxia DEI *δύναμις ἀναρρητή* *ἡγεῖται* inest. Ergo traditiones nequeunt esse norma Religionis, & quidem pari pietatis affectu & reverentia suscipienda ac veneranda, sicut impiam (q) decretum concilii abuli Tridentini impiissimè pronunciat.

(p) Rom. 1, 16. 1. Cor. 1, 21. 1. Pet. 1, 3.

(q) Decret. 1. sess. 4.

C.

VII. Si adhuc Scripturæ quædam addenda: procul omni dubio eadem *SPIRITVS SANCTVS* si p semet addidisset, ne humana traditione opus esset: sed noluit, cum vel maximè posset aliquid amplius addere. Ergo nullis planè additamenti opus est.

*Declaratur argumentū ex hoc Ioh. 20, Multa quidem & alia signa fecit IESVS in conspectu discipularum suorum, quæ non scripta in a. hoc: Hac autem scripta sunt, ut credatis, quod*

IE-

*IESVS est CHRISTVS, ille Filius DEI, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.*

C I.

VIII. Patres Orthodoxi etsi multam mentionem faciunt traditionum; tamen solam Scripturam pro regula & norma Fidei Christianæ agnoscunt, sicut ex eorum testimonijs superioribus adductis patet. Plura petat lector ex D. Chemnitij examine Concilij Trid. part. 1.

C II.

Atque hæcenus de priori adversariorum thesi: sequitur refutatio *Thesos posterioris*, quæ est de *Judice controversarum Religionis*.

C III.

Pro quo adulatores Sinitici unice colunt & venerantur Iovem suum Tarpeium, Pontificem puta Romanum.

*Posteriori anti-thesi Jesuiticæ opponuntur.*

C IV.

Verùm huic vanæ & profanæ opinioni *opponimus ἀντιουλογοισµὸς* subsequentes.

*Ἡ ἀντιουλογοισµὸς*

C V.

I. Nemo potest esse Iudex in propria causa; Sed in plerisque Religionis articulis agitur causa Pontificis Romani. Ergo.

C VI.

II. Supremus Iudex in controversijs Religionis ab Ecclesia Christiana isto nomine agnitus & susceptus sit, necessum est. Sed talis non est Pontifex Romanus, verùm potius, communi Ecclesiæ verè Christianæ iudicio, Antichristus. Ergo.

C VII.

III. Qui obnoxius est errori, is non potest esse Iudex infallibilis; Sed Pontifex Rom. est errori obnoxius. Ergo.

C I X.

Minor probatur: I. *Dictis* Scripturæ. II. *Exemplis*.

C I X.

1. *Dicta* Scripturæ quod attinet: ea sanè meridiano Sole lucidiùs ostendunt non modò *in genere*, quod (1) omnis homo mendax. Sed *in specie* quoque, quod Sacerdotes, imò

C 3

totum

totum Sacerdotum Collegium errare possit.

(v) *Psal. 116. 2. Rom. 3. 4.*

*Es. 56. Speculatores CACI OMNES, nescierunt VNI-  
VERSIS: canes muti, non valentes latrare, videntes va-  
na, dormientes & amantes somnia.*

*Ier. 6. A Propheta usq; ad Sacerdotem QVISQUE sectatur men-  
daciū.*

*Ezech. 22. Conjuratio Prophetarum in medio ejus sicut leo rugi-  
ens, & qui rapit prædam; SACERDOTES ejus VIOLA-  
RVNT LEGEM meam, & profanaverunt sancta mea.*

CX.

2. *Exempla si quis requirat: ea partim in Sacra, partim Ec-  
clesiastica historia sunt in promptu.*

CXI.

*In historia sacra habemus exemplum Aaronis Exod. 32.  
Nadabi & Abihu Lev. 10. Uriæ 2. Reg. 16. Hannæ & Caiphæ  
in historia Passionis.*

CXII.

*In historia Ecclesiastica occurrunt exempla Pontificum  
Romanorum ut Liberij, Anastasij, Honorij & aliorum, qui  
manifesti hæretici exiterunt, ut silentio præteream eos, qui  
diâis factisq; sese Epicureos esse declarârunt.*

*Legantur Platina, Nauclerus & Blandus.*

CXIII.

IV. *Si Pontifex Romanus summus esset judex sensus Scri-  
pturæ: Falsum utique esset, quod scripsit Apostolus: Spiri-  
tus Prophetarū SVBIECTOS esse Prophetis. Sed hoc omni  
absurditate est absurdius. Ergo.*

*1. Corinth. 14. 12.*

CXIV.

V. *Quicumque se vendit pro judice summo & ἀνωδύ-  
τω quæstionum Fidei; Is vendicat sibi dominatum Fidei in a-  
lios: Sed hoc neq; Petrus, neq; Paulus unquam sibi arrogâ-  
runt, Imò contrarium eorum Scripta testantur. Ergo.*

*Assum-*



Assumptio probatur ex 2. Corinth. 1. vers ult. ubi Paulus  
dissertissime affirmat: Ουκ οπιετομεν υμων τῆς τιμας, ἀλλὰ  
συνεργοιμεν τῆς χάριτος υμων.

1. Epist. c. 5. dicit Petrus: Presbyteros inter vos adhortor,  
qui sum & IPSE PRESBYTER (συνπρεσβυτηρ) &  
actestis afflictionum CHRISTI, atque idem consors glo-  
ria, que revelabitur. Pascite, quantum in vobis est, gre-  
gem CHRISTI, curam illius agentes, non coacte sed vo-  
lentes, non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo,  
neque CEV DOMINVM EXERCENTES adver-  
sus electos, sed sicut sitis exemplaria gregis.

### CXV.

Tantum quoque de posteriori antihesi Iesuitica. Et sic quo-  
que ad finem perduximus tractationem capitis quarti, in quo  
Ψεδοδοξίαν καὶ κωμοδοξίαν Iesuitarum de Norma & Iudice  
Controversiarum Religionis breviter refutavimus.

### CXVI.

Verum ut hæc Refutatio sit solidior: adjungemus jam  
quoque caput quintum, quo fundamenta τῶν ἀντιδιστασιμῶν  
maximè præcipua nobis veniunt diruenda.

### CAPUT QUINTUM,

Quo præsidia Adversariorum deiciuntur.

### CXVII.

Ponunt autem causa suæ perditæ & desperatæ præsidi-  
um in duplici fundamentorum genere: Quorum alterum,  
innititur frivolis quibusdam exceptiunculis, quibus impetum  
nostrorum arietum elidere conantur.

### CXVIII.

Alterum insistit aliquot testimonijs scripture, quibus, per  
futilem & futilem Ψεδωλευσιν eò detortis, opinionem su-  
am alioquin per quam instabilem & ruinosam, suffulcire al-  
laborant.

Primò

Primo igitur exceptiones quod attinet Iesuiticas, ea sanè  
variæ sunt & multiplices. Εν ᾧ ἀλλήθης τὸ ἵ ψεύδος πολυχιθές.

CXX.

Placet autem tantummodò μάλιτα Ἰηηπλαζῶσαι, quæq;  
adversarijs palmaria videntur adducere, earumq; vanitatem  
una atq; altera vocula perstringere.

CXXI.

I. Dicitur Esaia cap. 8, 20. dicunt esse *particulare*, cum  
tamen sit universale. CXXII.

Et si enim *exclusiva* non inserta est *actu*; Inest tamen  
*potentia*. Id quod patet ex argumento à periculoso inibi ad-  
dito.

CXXIII.

II. Ad axioma Apostolicum 2. Tim. 3, 19. hanc afferunt  
responsiunculam, non posse inde perfectionem Scripturæ a-  
strui ideo, quòd *ab utilitate ad sufficientiam invalida sit conse-*  
*quentia*.

CXXIV.

Sed refellunt illam *textus antecedentia & consequentia*.

CXXV.

*In antecedentibus* enim disertè enunciatur, quòd Sacrae  
litera possint nos sapientes reddere AD SALVTEM.

CXXVI.

*In consequentibus* verò dicitur, quòd totius Scripturæ sy-  
stematis finis in eo consistat, ut reddat virum DEI PERFE-  
CTVM.

CXXVII.

Nec juvat vespertiones Iesuiticos quicquam *distin-*  
*guenda perfectionis debita & indebita*. De debita enim perfe-  
ctione ab Apostolo ibi diseri, verborum scopus sonusq; cla-  
rissimè ostendunt.

CXXVIII.

III. Præcepta de prohibitione additionis identidem aliquot  
exceptiunculis exautorare, vel ad minimum obscurare ni-  
tuntur.

CXXIX.

1. Prima est, prohibitam esse tantum *additionem Sacrae scri-*  
*pturae contrariam*. Atqui refutat illam: 1. Emphasis adver-

bij

1. Refutantur  
exceptiunculae  
Iesuiticae.

bij TANTUM. 2. Propria nominis (additio) significatio, quæ ad ea quæ contraria Verbo scripto planè non quadrat. 3. Natura perfectionis.

CXXX.

2. Mandata illa dicunt esse *particularia* & ad solam legem Mosis restringenda.

CXXXI.

Verùm *universaliter* prohiberi omnia Scripturæ addita-  
menta; manifestò liquet ex Proverb. c. 30. 6. Et Apoc. cap.  
22. Systema Biblicum hac gravissima contestatione conclu-  
ditur & quasi obfirmatur:

*Si quis APPOSVERIT ad hæc, apponet DEVS super illum  
plagas, scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis  
libri Prophetiæ hujus, auferet DEVS partem ejus de libro  
vite, & de civitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in  
libro isto.*

CXXXII.

3. Proferunt exempla, quibus aliquid Verbo Scripto fuisse  
additum evincere satagunt.

CXXXIII.

Sed frustra, & pessimâ consequentiâ, utpote qua ab  
*absoluta DEI potestate, & extraordinariâ Prophetarum actio-  
ne, ad potestatem Regum & Sacerdotum ordinariam, & legi  
divinæ astrictam* proceditur.

CXXXIV.

4. *Dicta* Apostolica de Verbo DE I interpretantur non de  
Verbo Scripto: sed de Verbo *predicato*.

CXXXV.

An verò Apostoli aliud quiddam ore docuerunt, quàm  
manu literis consignârunt? Minimè gentium. Contrarium  
enim testatur Genitium Apostolus. Phil, 3. 1.

CXXXVI.

Et hætenus quidem de vanis & inanibus Iesuitarum ex-  
ceptiunculis: jam quoque *testimonia Scripturæ, quibus ad de-*  
fensio- 2 De testimo-  
nis Scripturæ,  
quibus abutuntur  
adversarij.

fensionem opinionis suæ abutuntur., ab impia eorum *ψ&.*  
*de pulvis* veniunt vindicanda.

CXXXVII.

*Bellarminus* (s) eorum XIV. producit, & priora V. quidem ex Veteri Testamento posteriora autem IX. ex Novo Testamento, quibus conatur evincere, *Pontificem esse. Iudicem summum veri sensus scripture.*

(s) *lib. 3. de Verbo DEI c. 4. & 5.*

CXXXVIII.

Sed omnia *impertinenter* allegantur, nec (NB) unum est quod ad intentionem ejus facit.

CXXXIX.

Et si inde conficias syllogismos, nihil invenies aliud quàm scopas dissolutas, & ex arena funiculos, ut alia, quibus sca- tent, vitia, silentio præteream.

CXL.

Idem meretricis Babylonix Pamphilus, vel procius maxime primarius, pro traditionibus acriter pugnat.

*Lib. 4. de verbo DEI non script. cap. IV. & V.*

CXLI.

Et capite quarto quidem demonstrare conatur *traditioni.* in necessitate ratiunculis potissima ex parte *arg&ois.*

CXLI I.

Sed facile possunt illæ confutari unica *hac distinctione.* probè observata: inter ea, nimirum, quæ sunt *dogmatica* & ad salutem scitu summè necessaria, & inter ea, quæ neq; *dogmatica* nè sunt, neq; necessaria ad salutem.

CXLIII.

*Illæ* ad unum omnia, in *Scriptura* sufficientissimè sunt *parata*: Horum verò per multa nota sunt in Ecclesia ex *traditione*, sine manifestis *Scriptura* testimonijs.

CXLIV.

Id verò quod undecimò ex *Luthero* objicit de purgatorio: *distinctione temporis* in fumos redigitur.

Capite.

CXLV.  
Capite quinto ostendere audeat testimonijs *ἐξ ἑαυτοῦ* esse  
aliquas veras traditiones.

CXLVI.  
Adducit autem eorum *quinq;* ad quæ singula ordinis re-  
spondebimus.

CXLVII.  
I. Ex Iohanne 16. Multa habeo vobis dicere, sed *non pote-  
stis portare* N U N C. Et Iohan. 20. sunt autem & *alia mul-  
ta*, quæ fecit IESUS, quæ si scribantur per singula, nec i-  
psum mundum arbitror capere posse eos, qui scribendi sunt  
libros. Item. A. 1. Per dies quadraginta apparens eis, & *lo-  
quens de regno DEI.*

CXLIIIX.  
Respondemus ex (r) Augustino: Aliud est scire, utrum a  
nobis vel vobis portari possint, aliud autem scire *que sint*,  
sive portari possint sive non possint. Quæ cum iste tacue-  
rit *quis nostrum dicat ista vel illa sunt?* Aut si dicere audeat,  
unde probabit. Quis enim est tam vanus & temerarius, qui  
cum dixerit etiam verba, quibus voluerit, & quæ voluerit,  
*sine ullo testimonio divino affirmet ea esse, que tum Dominus  
dicere noluit?* Quis hoc nostrum faciat, & non maximam  
temeritatis notam incurrat, in quo nec Prophetica, nec A-  
postolica excellit autoritas.

(r) *tract. 96 in Iohannem.*

CXLIX.  
II. Ex priorj ad Cor. 11. Laudo vos, quod per omnia mei  
memores estis, & sicut *tradidi* vobis, præcepta mea tenetis.  
Item: Ego accepi à DOMINO, quod & *tradidi* vobis.  
Item: Cætera cum venero, *disponam.*

CL.  
Sed committit Sophista fallaciam *ἐπιπολήσεως*:

D 2

Loca

Loca enim allegata non loquuntur de articulis Fidei ad salutem necessarijs: Sed de (NB.) *ἡλικίαις* rituum ἀποφάσεων, quos scriptio non comprehensos, imò, (cum pro conditione temporum diversimodè variant) nec comprehendi potuisse τὰν ἀμφοῖν largimur.

CLL.

III. Ex 2. Thef. 2. Itaque fratres, *tenete traditiones*, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.

CLII.

Resp. *Μηδὲν ἄλλο ἐστὶν*, quin & enormis ἀναβολή. Nam quænam quæso ab Epistola Pauli ad Thessalonicenses ad integrum librorum N. T. *systema*, itemque ab illo Apostoli tempore ad tempus posterius consecutio?

CLIII.

IV. Testimonium est 1. Timoth. ultimo. O Timothee, *depositum* custodi. Et 2. Timoth. 1. Formam habe sanorum verborum, quæ a me *audisti*. Bonum *depositum* custodi per SPIRITUM SANCTUM, qui habitat in nobis. Et cap. 2. Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo IESU: & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.

CLIV.

Negatur consequentia. *Doctrina enim & Scriptura non sunt contraria, sed tantum diversa & subordinata*, adeoque *depositi notione utrumq. comprehenditur*, Doctrina enim non aliunde quàm ex *Scriptura* peti potest ac debet.

CLV.

V. Et ultimum ex 2. & 3. Iohannis: Multa habens scribere vobis, nolui per chartam & atramentum, &c.

CLVI.

Ludit Iesuita iterum fallacia τῆς παρ-εμπόνης, à parte ad totum plus quàm Sophisticè argumentando.

Atque:

CLVII.

Atque sic quoque absolvimus *quintum caput*, in quo fundamenta præcipua, quæ Adversarij ex Scriptura depromunt, & in quibus causæ suæ alioqui desperatæ præsidium collocant, breviter evertimus:

Συμπέρασμα τῆς συζητήσεως.

CLIX.

Ut igitur tandem vela contrahamus & portum respiciamus: ex his utique quæ dicta & adducta fuerunt hæc-  
Conclusio 19. 30. ληθὲς

CLIX.

1. *Controversiarum Religionis normam nullò modo esse traditiones: sed solam duntaxat scripturam sacrosanctam.*

CLX.

2. *Earundem judicem nequaquam esse Pontificem Romanum: sed solum SPIRITUM SANCTUM loquentem per scripturam.*

Ὅτι οὐκ ἔδει δεῖξαι.

CLXI.

Orta igitur de capite quodam Religionis controversia: πρωτογενήτων  
 rectè recurrentum ad Sacrosanctam Scripturam.

CLXII.

Atq; adeo attendendum sedulo, quid ipse consonum, quid dissonum.

CLXIII.

*Consonum Scripturae, pro vero agnoscendum, colendum, amplectendum.*

CLXIV.

*Dissonum verò, ut falsum & erroneum improbandum, repudiandum, condemnandum.*

Quod!

Quod superest, pro conservatione Verbi Divini veris  
 su spirijs ingemiscimus cum CHRISTO SALVATO-  
 RE, Iohan. 17.

Conferva nos in veritate:

Verbum tuum est

VERITAS!



Επιστολή ματ. duo.

Summi precij, maximè illu-  
 strantia thesin, in quo Consensus Orthodoxæ  
 Antiquitatis firmentio.

I. Iστορικὸν δε Constantino Magno, in Synodo Nicena,  
 ex hist. Eccl. Theod. lib. I. c. 7.

**L**audatissimus rex (Constantinus Magnus)  
 mentionem habuit de concordia & consensio-  
 ne, revocat a omnibus in memoriam superiorum  
 Tyrannorum crudelitate, & qua sub beneficio,  
 quamque honorifica pace fuerentur: tum nihil  
 dixit



dixit esse indignius, quam hostibus domitis,  
cum qui rebellare auderet, inveniretur nemo,  
ipfos se mutuo impetere, & voluptatem ac ri-  
sum conciliare inimicis: præsertim in disputa-  
tionibus rerum divinarum, in quibus habe-  
rent sanctissimi Spiritus doctrinam perscri-  
ptam. Evangelici enim & Apostolici libri,  
nec non antiquorum Prophetarum oracu-  
la, planè instruunt nos, inquit, sensu numi-  
nis. Proinde hostili posita discordia, sumamus  
ex dictis Divini Spiritus explicationes questi-  
onum. Hæc & similia memorabat ille velut  
amans paterni nominis filius Sacerdotibus, tan-  
quam Patribus, cupiens confiteri Apostolico-  
rum dogmatum unitatem.

II.

Ἐπιμιχὸν ex Scriptis Patris-Patrum D. LUTHERI  
ἰδιογλώσσως Tom. 1. Jen. f. 428.

Die Schriffe ist vnser Recht vnd Trost / damit wir auch  
einem Engel vom Himmel mügen widerstreben / Wie S.  
Paulus Galat. 1. gebent / schweig einem Babst vnd Con-  
cilio.

Tomo eodem.

Gottes Wort ist also rein / das es keinen Zusatz bedarff /  
Es wil allein sein / oder gar nichts.

Eodem

Viel weniger kan jemand so vermessen sein/das er sñm allein solche Gewalt zumessen wolte/ Gottes Wort seines gefallens zu meistern/Es were denn ein Gottloser NARR/laut des Spruchs/Prov. 28. Wer sich auff sein Herr verlest/der ist ein Narr.

Item fol. 451.

Vnd das nicht vnbillich/denn derselbe Glaube/vnterwerfung vnd demut/ist eigentlich der rechte Gottesdienst vnd anbeten / wie S. Augustin sagt / so keiner Creatur sol erzeiget werden. Derhalben auch S. Paulus weder die Engel noch sich selbst/ohn zweiffel auch keinen Heiligen / er sey im Himmel oder auff Erden/wirdig acht solches Glaubens vnd vertrauens/ Ja verfluchet. Auch würden sie es nicht leiden/schweige denn/ das sie es begeren solten/Sintemal einem Menschen in sachen/so die ewige seligkeit belangen / also vertrauen/en/anders nicht ist/ denn der Creatur die ehre geben / welche Gotte eigentlich vnd alleine gebüret.




05 A 523

**ULB Halle** 3  
004 209 508  


1017








Farbkarte #13

B.I.G.



n Theologicarum  
TATIO II.  
Qua  
na Theologicum, idq;

RMA, ET  
ONTROVER-  
n Religionis,  
entilandum sistitur,  
teb: Academia,

FÖRSTERO,  
& Prof. Publ.

NERO BOESLA-  
Silesio.  
i 27. Julij.

το Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει  
ἐκείν@ ὑμᾶς διδάξαι πάντα καὶ  
κατανοῦναι, (NB) ὅσα εἶπον ὑμῖν.

B E R G Æ  
oh. Gorman., Anno 1608.